

sed inarticulatas. Sic boatus, grunnius, latratus, rrigitus, omnesq; avium cantillationes voces sunt inarticulatae, non conceptuum, sed affectuum indices. De quibus infra.

THEOREMA II.

Causæ Sermonis alia sunt Efficientes, alia Finales.

§. 1. Uti omnium alioquin rerum, ita & Sermocinationis *Causa prima & universalis* Deus ter Optimus Maximus est, qui non mentem duntaxat & cor homini indidit; sed & linguam eidem atque loquelam tribuit. Quem in finem, postea videbimus. *Efficiens particularis ac principalis* Anima est rationalis. *Instrumentalis* primò est facultas seu potentia sermocinandi: postmodum *Instrumenta* plurima. Bartholinus Anatom. l. 2. c. 11. Organa Vocis in *Remota* distingvit atque *Propinqua*. Illa sunt Thorax & Pulmo. Cordis hinc auxilio opus esse minimè censet, quandoquidem, si cordis vasa quatuor comprehensa laqueo constringantur, deinde cor abscindatur, canis & currere queat & vociferari, ceu præter recentiores idem sæpius expertus est Galenus. Ac *Verulamius* in Historia Vit. & Mort. observavit hominem evisceratum avulsò corde tria aut plura verba precum protulisse. Cætera quæ propius concurrunt ad formationem vocis instrumenta in *preparantia, adjuvantia & conservantia* distribuit. Johannes Antonides Van der Linden Medicin. Physiolog. p. 535. sermonis organa hæc recenset: *Maxillas, Dentes, Gingivas, Buccas, Labia, Palatum, Uvulam, Tonsillas, Linguam, Os ὀψιλοειδές, Larynga, ἑπιγλωττίδα, Pulmones, Asperam arteriam, nares, Thoracem, & Abdominis musculos.* Distichon etiam vulgare habetur:

Instrumenta novem sunt, guttur, lingua, palatum,

Quatuor & dentes, & duo labra simul.

§. 2. *Maxillas* quod attinet, in iis aliquod ad sermonem esse momentum vel ex solis ore tortis addisci potest. *Dentium* usum præcipuum atq; primarium in vocis articulatione ponit *Van der Linden* l. cit. p. 547. eamque sententiam Aristoteli tri-

B

buit